

Illustrissimus ZEDLIZ, quem curae rerum academi-
 carum scholasticarumque praeposuit Rex, et cui quid resp.
 literaria debeat, nemo facile est qui ignoret, admiranda
 sane industria operam dedit, ut et quod Rex juberet, et
 quod jubere voluisse videri posset, et quod praeterca ad
 utilitatem rei augendam conferret, effectum praestaret.
 Pluribus nempe viris doctis partes, aliis alias, hujus ne-
 gotii ita distribuit, ut alii in conscribendis libris schola-
 sticis, alii in edendis auctoribus, alii in vertendis, alii in
 explicandis, alii denique in docenda explicationis me-
 thodo, operam collocarent. Ita Cl. ADELUNG, vir fe-
 licis industriae et acuminis, in conscribenda grammatica
 linguae patriae est occupatus *); Cl. EBERHARD vero,
 vir et ingenii et doctrinae laude praestans, in vertendo
 Andronici in Aristotelis Ethica Commentario.

Quod vero ad Platonem attinet, primus cum Viro
 Illustrissimo consilia de hac re contulit Cl. ENGEL, vir
 qui multis eisque diversis ingenii speciminibus editis in-
 notuit. Is igitur auctor fuit, ut disciplinarum studium
 cum veterum linguarum studio conjungeretur, sed ita ut
 scientia quaelibet non tam ex auctoribus, quam inter
 illos legendos addiscatur. Cujus consilii jam in Gym-
 nasiis Berolinensibus fructum videre licet. Cl. enim
 MEIEROTTO, Joachimici Gymnasii Rector meritissi-
 mus, ita Ciceronis orationes praelegit atque explicat, ut
 in his summis artis oratoriae exemplis simul doceat
 praecepta Rhetorices, adhibito una Quintiliano. GE-
 DIKE vero, vir doctissimus, Fridericiani Gymnasii Di-
 rector, Logicam occasione legendi Platonis utens, Geo-
 graphiam antiquam occasione Taciti, antiquitates deni-
 que, quae dicuntur, occasione Suetonii, explicat; idem-
 que de hac re elegans Programma (*über die Verbindung
 des wissenschaftlichen und philologischen Unterrichts.*

*) Quam admiranda sollertia ab eo absolutam esse, et quidem tri-
 pliciter, latiori, angusto, et angustiori campo, cuilibet notum est.